

RVARDVS TAPPERVS THEOLOGVS LOVANIENSIS.



R Vardus Euchusianus in Hollandia natus est anno circiter 1475. Is multis artibus instructus animum ad Theologiæ studium conuertit, atq; in eo adeò profecit, ut eius facultatis Doctor crearetur. Postea Louanium peruenit, atque Theologiæ professor constitutus fuit. In ea functione cum docte pergeret, S. Petri Decanus, atq; hæreticæ prauitatis (ut uocant) inquisitor electus est. Eo tempore Louanienses Theologi Lutheri doctrinam reprehenderunt, & certos suæ religionis articulos ediderunt. Eos autem cum Vittenbergenses Theologi confutarent. Ruardus se se ijs opposuit, & Lovaniësum articulorum defensiones scripsit. Cum

hoc modo is Louanij in magna authoritate esset, tandem octuagenarius anno salutis nostræ circiter 1555 ibidem obiit, & magna pompa tumulatus fuit.
Anonim.